

Oueten. Parochialis.

1 Reu. Pater. **I**ntroducta fuit Lis in Curia Episcopali Oueten. illius sede vacante inter Fiscalem eiusdem Curiae Episcopalis, Homines, & Parochianos Ecclesie Parochialis S. Eulaliae de Presno, ac D. Garziam Valledor. Principales nostros; Et Ven. Monasterium ac P. Abbatem de Villanova Ordinis S. Bernardi Aduersarios super eo, quod dd. Parochiani, & litis Consortes prætendebant eamdem Parochialem Ecclesiam esse liberæ provisionis Episcopi Oueten. facien. per concursum ad formam Sac. Concil. Trident., dictique Abbas, & Monachi præfati Monasterij è contrario eam quæstionem promouebant, quod erat de eorum Iurepatronatus, diuque in dicta Curia hac Controversia discussa, tandem Iudex Deputatus à Reverendissimo Capitulo eadem Sede Episcopali vacante per Sententiam definitiuam pronuncianit, non constitisse neque constare de præfato Iurepatronatus. adeoque dictam Ecclesiam esse liberæ provisionis Episcopi, ut colligitur ex Summ. n. 1. litt. A.

2 Ab ista itaque Sententia interposita fuit Appellatio pro parte dicti Ven. Monasterij Aduersarij ad Nuncium Hispaniarum, & agitata huiusmodi Causa Appellationis coram D. Stephano Gonzalez de Mena Iudice Curiae Nunciaturæ præfatæ, iste Sententiam protulit in parte, & partibus reuocatoriæ d. præcedentis Judicati, ut ex dicto Summario num. 1. litt. B., à qua interposita Appellatione pro parte Principalium ad Sanctissimum, ut ex dicto Summario num. 1. litt. C., ea tamen fuit admissa à dicto Iudice ad effectum dumtaxat hancmet Appellationem prosequendi coram dicto Reverendissimo Nuncio, ut ex dicto num. 1. ead. litt. C. Vnde dictum Venerabile Monasterium, à quo pro altera parte sibi contraria fuerat interposita Appellatio ad eundem Reverendissimum Nuncio, expedivit consuetas Litteras Citatorias coram eodem, istisque præsentatis prædictis Principalibus nostris, illicè se protestarunt in Actis, quod cum ipsi interposnissent Appellationem ad Sanctissimum, & animu[m] constantem habuerint eam prosequendi coram illo, ad quem effectum opportunè recurrerant ad Vrbem, ubi iam notitiam habuerant, quod decretæ erant Litteræ Citoriales; Ideo protestabantur de Nullitate, & Attentatis, quatenus Causa prosequeretur coram dicto Nuncio Hispaniarum, ex quo nunquam consenserunt, nec consentire profitebantur Appellationi admissæ à Iudice de Mena ad Nuncium præfatum, repetendo pluries ac pluries quod ubi Causa coram dicto Nuncio prosequeretur, itemque applicebant ad

Suum Ponitatem , & de nullitate dicebant , ut convinci-
tur ex dicto Summario num. primo litt. E., & F.

- 3 Verum huiusmodi Protestatione minimè attenta , Reuerendissi-
mus Nuncius in contumaciam huius Partis sua Iusta minimè
deducere curantis coram eo super meritis Causæ , Sententiam
protulit , in qua confirmauit in omnibus , & per omnia præfa-
tam Sententiam d. Iudicis de Mena . Interposita iterum ab
utriusque Parte ab hac Sententia Appellatione ad Sanctissimum ,
eaque ad vitrumque effectum admissa , pro parte Ven. Mona-
sterij Adversarij statim fuit expedita Commissione per Breue di-
recta quibusdam Iudicibus de Partibus , in quorum Locum
deinde subrogatus fuit D. Io. Franciscus de Ayala , coram quo
immediate Comparentes dd. Principales nostri ad hanc in-
stantiam unice promouendam , ita denuò protestati fuerunt ,
vt in dicto Summario num. i. litt. K. ibi = In barentes Appellatio-
ni pridem interpositæ canone iterum interponentes à Sententia
Reuerendissimi Nuncij , utpote quia non obstante declinatoria co-
ram eo interposta , EISQVE INDEFENSIS confirmasset Sen-
tentiam latam per dictum Doctorem Mena . INSTETERVNT
ANNVLLARI SENTENTIAM AB EO LATAM , ad quem
effectum reproduxerunt omnia , quæ præcedenter allegauerant ,
ac nosciam nullitatem dd. Sententiarum fundatam in eo quod
cum ipse essent legitimi Appellantæ à Sententia , quam prænuncia-
uerat d. Doctor Mena , dictamqua Appellationem interposuissent
ad Sanctissimum Et. huiusmodi articulo minime euacuato , eisque
indefensis , & inordinate processum fuerat ad Sententiam defini-
tiuam ; Allegantes ulterius praesidium restitutionis in integrum .
- 4 Sed hac quoque Instantia minimè reputata , ac pariter indefen-
sis super meritis Causæ dd. Principalibus , Sententiam protu-
lit d. Ayala Iudex subdelegatus confirmatoriam alterius Reue-
rendissimi Nuncij , & denegando nouam Appellationem ab
eisdem Principalibus interpositam relaxauit Litteras Execu-
toriales , vt ex dicto Summario num. primo litt. L. Istisque direc-
tis Canonico Scholastico Cathedralis Conchen. , coram eo
iterum repetitis protestationibus nullatum viriusque Senten-
tiæ latæ postquam interposta fuerat Appellatio ad Sanctissi-
mum , & in Urbe usque sub 28. Novembris 1731. fuerat expe-
dita Commissione subdelegationis per Breue tribus Canonicis
Cathedralis , quam de facto coram dicto Executore exhibue-
runt , vt ex dicto Summario num. primo litt. M. , & N. ubi latif-
simè , immò postmodum addendo quod istæ postremæ senten-
tiæ latæ fuerant eis minime propria Iura promouentibus ex
quo nunquam consentire voluerunt Iurisdictioni illorum Iudi-
cium , qui easdem Sententias protulerunt , & enumerando om-
nes exceptiones , & rationes , quibus dd. Principales amplis-
siue

sic è pollebant in præteritum minimè deductis, ut ex Summa-
rio dicto num. primo litt. O. Adhuc hisce omnibus multò minus
attentis iterum d. Executor exequi mandauit Litteras Execu-
toriales sibi directas, & præcepit affigi in Cappella maiori hu-
ius Ecclesie Parochialis Stegmatæ Regia, & Monasterij Ad-
uersarij ad significandum, quod præteritis temporibus erat de
illius lure patronatus, ut ex Summ. d. n. i. litt. P.

5 Ad reparandum tot grauaminibus prædictis Principalibus nostris
illatis, expediuiimus opportunas Litteras Citatoriales pro
adeundo hoc Supremo Tribunali cum insertione Commissionis
directæ Iudicibus vni, aut pluribus de Partibus, quam damus
in fronte Summarij; Istisque præsentatis personaliter toti Mo-
nasterio Aduersario Capitulariter congregato, ut habetur post
dictam Commissionem litt. A.; dum eatundem Litterarum vi-
gore, in quibus compellebantur Partes, & Notarij ad tra-
dendas Scripturas, & Copiam authenticam Actorum in Cau-
sa factorum, dd. Principales nostri cunctas vires impenderint
ad eandem Actorum Copiam accipiendam; Monasterium Ad-
uersarium tricas adeo validas interposuit coram Iudice, & in
Tribunali Regio, ut in maximum contumaciam huius Supre-
mi Tribunalis impedire ei datum fuit extractionem eorundem
Actorum, compellendo Notarium ad dd. Acta nunquam huic
Parti tradenda iuxta fidem narrationem distincte relatam, &
ex gratia perlegendam in Summario num. 2. Itaut in his termi-
nis eisdem Principalibus nostris eo meliori modo quo potuisse
datum solum fuit obtainere à Notario Causæ succinctam fidem
omnium Actorum Processus coram omnibus Iudicibus compi-
lati, ut pater ex dicto Summ. num. primo signanter litt. Q.

6 In hoc igitur statu dd. Monachi Aduersarij longè magis contu-
maces se ostendendo de hac ab eis patrata violentia, immò
nil penitus fidentes de eorum futilemissimis Juribus, comparere
hodiè recusant corā hoc ipso Supremo Tribunali, vnde longè,
ac longè elapso termino in dd. Litteris Citatorialibus præfixo
cogimus hanc Causam proponi facere per Contradicções; Ac
proindè Commissioni ut desuper porrectæ rescribendum fore
Supplicamus et Alteri per Breue in Partibus ex integro à Sententia
Iudicis Don Stephani Gonzalez de Mena et prout attenta Iustitia
quæ nobis procul dubio assistit à consueta Iustitia RR. PP. ob-
tinere confidimus.

7 Est enim vndique absolute quod dicta Sententia Iudicis de
Mena sit de sui natura appellabilis, tūm quia Causa agitata fuit
super Petitorio, seu pertinentia Iurispatronatus, & respectuè
libertatis huius Ecclesie Parochialis; Tūm etiam, & quia il-
lius Sententia est revocatoria alterius Curiæ Episcopalis
Querentis ut pater ex Summario num. i. litt. A., & B. ut est

notorium , & admonet Constant. ad Stat. Vrb. anno 52. art. 2.
num. 507. Unde tota quæstio reduceretur ad illam inspectio-
nem , an aliæ duæ postremæ Sententiæ Recurendissimi Nuncij
Hispaniarum , & Subdelegati Ayala , quas pro nullis decla-
randas fore supplicamus , huiusmodi nullitati . vitio reuera la-
borcent . Verum nullitas huiusmodi veluti manifestissima redi-
ditur in casu præsenti , vbi RR. PP. reminisci dignabuntur co-
tius rei desuper in expositione Facti enarratæ .

¶ Iam enim agnouimus in Facto , quod à dicta sententia Iudicis de
Mena , qui processerat in secunda Instantia interposita fuerat
appellatio pro parte Principalium ad Summum Pontificem , ut
ex Summario dicto num. 1. liti. C. Quapropter in his terminis
præpedita omnino erat via , & cu conque Iudici inferiori , &
Parti aduersæ introducere Causam Appellationis coram alio
Iudice ; Quemadmodum enim irrefragabile est quod vali-
dissime interponi possit appellatio à Iudice Ordinario omisso
medio ad Summum Pontificem ad Text. in cap. Dilecti de Ap-
pell. ibique Abb. num. 11. versc. Quartus casus , & Franc. limit. 10.
num. 25. , & alij Repeten. , Luc. Pet. in prax. lib. 5. cap. 1. sub
num. 16. , Marant. in specul. par. 6. act. 2. princ. V. Et quando-
que appellatur num. 369. , Rebuff. de priuileg. Scholar. priuil. 163.
num. 2.. , & 3. cum alijs innumer. cumulatis per Scacc. de appell.
quæst. 7. num. 46. cum plurib. seqq. Ita equè irrefragabile est
quod vbi Appellatio interposta sit ad Summum Pontificem si
alius Iudex inferior in eadem Causa se intromittat , totum id ,
quod ab eo factum esset tanquam nullum , & attentatum in
omnibus circumscribendum venit , etiamsi id ipsum fuisset ex-
pletum coram Iudice , qui iuxta gradualem ordinem in Cau-
sa appellationis immediate procedere debuisse , ut egregiè
comprobat Lancellott. de assent. par. 2. cap. 12. amplias. 2 l. n. 1. ,
& seqq. ibi = Vigesimo primo amplia ut actus factus appellatione
ad Sanctissimum interposta , & pendente sit Attentatus , etiam
si sit factus ab eo , ad quem per gradus , & via ordinaria proce-
dendo appellatio fuisset devoluta , quamvis enim appellatio ab Epi-
scopo , & alijs inferioribus regulariter ad Metropolitanum deuo-
buasur cap. Dilecti ib 3. de appell. ; Quia tamen potest ad Papam
etiam omisso medio appellari , ut notant omnes in dicto cap. Di-
lecti &c. si quis à sententia Ordinarij ad Sanctissimum appella-
uerit , & ea appellatione pendente Metropolitanus (tanquam su-
per Causa ad eum per appellationem devoluta) Sentenciam profe-
ras , talis Sententia dicitur nulla , & inualida , ut ex , Text.
in cap. Sollicitudinem , & ibi notans Scribentes , presertim , Franc.
num. 7. versc. Tertio queritur de appell. Quinimmo ad propositum
nostrum illa dicitur etiam Attentata , ut fuit resolutum in una
Pampilonen. erectionis coram Capua quen. 14. Maij 1568. , ea

ratione quia appellatione interposita ad Papam alias non potest de eu cognoscere cap. Solitudinem &c. = Et prosequitur d. Scacc. de appell. ead. quest. 7. num. 55.

9 Atque hæc adeo vera, & firma sunt, vt interposita appellatio-
ne ad Sanctissimum nec etiam Legatus Apostolicus possit agno-
scere eandem Causam appellationis, vt ait Franc. in cap. Con-
stitutus 45. num. 45. versic. Item aduerte de appell. ibique etiam
Barbos. num. 2., & seqq. cum alijs apud, Valzsc. consil. 62.
num. 2., & seqq. Immò sibi lacum vindicare bebet id ipsum;
& si altera Pars, nimirum Monasterium Aduersarium appella-
uerit ad eundem Legatum Apostolicum, aut ad alium inferio-
rem Iudicem; Quia in concursu duplicis appellationis vñæ in-
terpositæ ad Papam, & alterius ad inferiorem, præualere de-
bet Appellatio directa ad Summum Pontificem ex quo potè-
stas, & Iurisdictio Iudicis Superioris absorbet Iurisdictionem
Inferioris ad Text. in cap. Si duobus 7. de Appell. ibique signan-
ter Franc. num 3. versic. Quid autem si una Pars, ibique
Barbos. sub num. 2., Gambar. de aucto. Legat. de latere lib. 8.
quest. 25. num. 112., Lancellott. de Attentat. par. 2. cap. 12. de
Attent. appellatione pendent. ampliat. 15. num. 3., ubi ampliat
id procedere quanquam Causa fuisset prius exordita in gradu
appellationis coram Iudice inferiore sequendo Bero consil. 6.
num. 4. lib. 6., & Pirinch. in Ius Canon. lib. 2. cit. 28. sect. 4. §. 4.
num. 96. versic. Ratio posterioris partis.

10 Minime refragante quod dictus Iudex de Mena appellationem
admisit, dummodo tamen prosequeretur coram ipso Nuncio
Hispaniarum; Quia huic Decreto Iudicis cum nunquam Prin-
cipales nostri acquieuerint, aut ullum consensum præstiterint
vt colligitur cum ex recurso ab istis facto ad Urbem ad obti-
nendum Breue subdelegationis, quod de facto obtinuerunt
paulo post, nimirum de mense Nouembris 1731., cum ex con-
tinatis, & assiduis protestationibus factis tam coram dicto
Nuncio, quam coram alijs subdelegatis in quarta instantia,
quam demum coram ipso Executore Litterarum Executoria-
lium, vt haberur ex dicto Summario num. 1. litt. F. E. K. M.,
& N.; Palam proinde remanet, quod nullius penitus robo-
ris efficiator dicta admissio Appellationis à Iudice de Mena li-
mitata, vt ea prosequeretur coram Nuncio Hispaniarum;
Electio enim Iudicis qui cognoscat Causam in gradu Appella-
tionis non spectat ad Iudicem à quo, aut alteri Parti appella-
tæ, sed soli Appellant, à quo si interposita fuit Appellatio ad
Iudicem competentem, coram isto dumtaxat prosequenda
erit, nisi ei explicitè fuerit renunciatum, vt comprobant Abb.
in cap. Si duobus 7. num. 20. versic. Ultimo Quero de appellat.
Marches. de Commiss. appellat. par. 2. cap. 1. num. 57. ful. 15. 11

Bero consl. 7. sub num. 19., & seqq. num. 1., Reginelli de appell.
§. 6. cap. 8. num. 6. versic. Non poteris Scacc. de appell. quæst. 5.
num. 99., & quæst. 9. num. 3. Stantibus præsertim dictis prote-
stationibus coram dicto Reuerendissimo Nuncio, & alijs, Sub-
delegato nimirum ac Exequatore postmodum de hac ipsa nulli-
tate reiteratè factis; Iste enim præseruasse reputantur omnino
intactam eamdem nullitatem, neque ei per huiusmodi com-
paritiones factas coram dictis Iudicibus unquam renunciatum,
ut egregiè obseruat Gonzalez Tellez. in cap. Sollicitudinem 54.
num. 1 - de Appellat. latissimè Salgad. de Reg. protest. par. 2. cap. 8.
num. 69., & seqq., & Sacc. de Appellat. quæst. 17. limit. 2.
num. 43.

- 11 Hæc omnia quæ procul dubio procedunt ad ostendendam nulli-
tatem Sententiaz Reuerendissimi Nuncij, qui processit in gra-
du appellationis, postquam Appellatio interposita fuerat ad
Summum Pontificem, eodem luce sibi locum vindicare debent
aduersus aliam Sententiam subdelegati Ayala, qui in omni-
bus, & per omnia confirmauit dictam Sententiam Reueren-
dissimi Nuncij, ut ex dicto Summario num. 1. list. L., & de ne-
gavit etiam Appellationem à Principalibus petitam, ut colli-
gitur ibidem; Sententia enim nulla non promeretur confirmationem,
ideoque si subsequens Iudex eam confirmauerit ab
eodem nullitatis vicio nunquam saluati poterat ista secunda
Sententia quoque, nisi in casu ubi ab hac non fuisset appellatum,
eaque transiuisset in Rem Iudicatam ut egregiè comprobant
Vant. de nullitat. sit. Qualiter Sententia, & Processus n. 15., Gra-
tian. discept. forens. 144. per sol., Adden. ad Greg. dec. 176. n. 15.,
Rot. in rec. dec. 474. num. 4., & seqq., & dec. 512. per sol. par. 2.
& coram Celso decis. 326. num. 9., & 10.

- 12 Certius verò, & citrà ullam hæsitationem, nullitas huius Sen-
tentiaz Confirmatoriaz remanet in patulo, ex eo quia nostri
Principales coram dicto Iudice Subdelegato non solum de
prædicta nullitate Sententiaz Reuerendissimi Nuncij ita simpli-
citer protestati fuerunt, sed solemnissimè quoque professi fuc-
runt, ipsos nolle deuenire ad examen meritorum Causæ, nisi
prius dicta nullitas Sententiaz Nuncij fuisset declarata, ut ex
protestatione, cuius verba supra in Facto transcriptis legen-
in d. Summ. n. 1. list. K.; In hoc enim casu nunquam ac omnino
nunquam datum erat d. Iudici Subdelegato deuenire ad confi-
rmationem dictæ Sententiaz nullæ absque eodem nullitatis vicio,
etiam si Sententia confirmata agnosceretur iusta, ut egre-
giè conciliando Auctoritates inter se pugnantes concludunt
Vant. de nullitat. sit. Quibus mod. nullitates num. 16., Adden. ad
Gregor. d. decis. 176. pariter num. 16. ibi = Prædicta omnia proce-
dunt Parte non opponente de nullitate, nam sive appositione

non potest Index Appellationis Sententiam nullam confirmare sed debet ante omnia illam ut nullam reuicare = Rot. coram Cæsare de Grass. decif. 9. num. 13. de sent., & re Iudic., & par. 4. Diuers. decif. 37. per tot. ibi = Non potest procedi per aliquam confirmationem Sententiarum de partibus, cum Parte opponente Sententia nulla confirmari non posset, etiam quod esset iusta.

13 Indubitamus quia istæmet nullitatis oppositiones fuerunt iterum mordicus repetitæ coram Iudice Executore, vt ex dicto Summario num. 1. litt. M., & N. immò additum fuit quod ex hac ratione dd. Principales merita Causæ ad ipsorum fauorem examinare omisisti, quorum Iura, & quidem in compendio postmodum referunt coram dicto Executore vt ex dicto Summario num. 1. litt. O. Vnde iuxta laudabilem stylum huius Supremi Tribunalis deneganda neque erit ista reuasio Causæ, cuius meritorum examen vt vidimus coram Iudicibus de Partibus fuit ita oscitantes præte missum, ne Iustitia eorum Iurium ita in obscuro reddita, nimis læsa remaneat.

14 Obstare demum non debet, quod in præsenti non afferantur ipsæ Sententiae contrarie prout iacent, ipsaque actæ originalia. sed solum fides succincta Notarij Causæ de hisce omnibus testantis, vt ex Summario dicto num. 1. litt. Q. Quoniam sicuti desuper in Facto monuimus, cum copia istorum Iurium in debita forma haberi nequiverit vigore Compulsorialium insertarum in ipsis Literis Citatorialibus huius Supremi Tribunalis, ex quo Pars aduersa implorando quoque præsidium brachij sæcularis impediuit totis viribus vt eadem Actorum Copia Princeps libus traduceretur, vt constat ex documento ex gratia legen. in Summario num. 2.; Ideò in odium eiusdem Partis impedientis extrahi integras copias Sententiarum, & aliorum Actorum haberi debet pro legali, & omnino subsistenti d. brevis fides accepta eo meliori modo quo potuit ob illatas violentias ipsimet Notario Causæ vt optimè ad rem ait Bartol. in leg. Si Actores ibique Decius num. 13. ff. de in litem iurando, Rot. coram Seraphin. decif. 1305. num. 7. latissimè articulo discussio in recent. decif. 18. per tot. par. 5. decif. 203. num. 10. par. 16., & coram bon. mem. Ansaldo decif. 32. num. 34.

Quare &c.

Vitus Angelus Caualletti.
Ioseph de Bomplanis.

Signatura Iustitiae

R. P. D.

A M A D E O

Oueten. Parochialis.

P R O

R.D. Promothore Fiscali Curiæ Episco-
palis Oueten., Parochianis Eccle-
siæ Parochialis S. Eulaliiæ
de Fresno, & litis &c.

C O N T R A

Ven. Monasterium, & Abbatem
de Villanoua.

M. Fatti.

Proponam die Iouis

1734.

F. F. Amadeus.

Typis Leone, & Mainardi 1734,



Sección Bibliografía Asturiana

RAST Ast R.C 58-1
01881217537 R93091581

